





19.12.  
1720, 15-

# IO. CHRISTIANI SCHROETERI

PROFESSORIS PUBLICI, CVRIÆ PROVINCIALIS,  
SCABINATVS ATQVE FACVLTATIS IVRIDICÆ  
ADSESSORIS, HOC TEMPORE DECANI

PROGRAMMA.

*LECTIONI AVSPICALI*

**PAVLI GUILIELMI  
BRVCKNERI,**

CANDIDATI IVRIVM CLARISSIMI PRÆMISSVM.



*J E N A E,*  
LITTERIS MULLERIANIS.

IO. CHRISTIANI  
SCHROFFERI

GOETHESSOES LARBERG. CIRCA 1694. MICHIALES  
SCENICAS. TUTA STOLA. AGATHATAM. LEONIDAE.  
ADIEGOLE. HOC TITULUS. DELETA.

PROGRAMA  
REGIOM. AVSPICATI  
PAULI QVHIBELI  
BRACKNERI



LITETRIS QVHIBELIANIS



quis conductionis titulo agrum, vel  
aliam quamcunque rem accepit, POS-  
SESSIONEM eum prius RESTITV-  
ERE debere, & tum de proprietate  
lirigare, Imperatores, Diocletianus &  
Maximinianus, Epagatho rescripse-  
runt. l. 25. c. de Locat. cond. Quid igi-  
tur, numne conductor rem conductam possidet, ut posses-  
sionem eius restituiri debere locator petere necesse ha-  
beat? Sane, quicquid apprehendimus, cuius proprietas ad  
nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc posses-  
sionem appellamus l. 115. D. de verb. sign. At vero rei condu-  
cta proprietas adeo non potest ad conductorem pertinere,  
ut etiam inefficacem conductionis contractum faciat. l. 20.  
c. de locat. & cond. l. 45. D. de Reg. iur. Apprehensione er-  
go eius possessionem acquirit conductor. Nec de restitu-  
enda possessione agri cum conductor posset, nisi posideret  
rem conductam: sic vero Iulianus definit l. 11, §. 3. D. lo-  
cat. cond. eum, qui vinum de Campania transportandum  
conduxisset, ex locato teneri, ut locatori POSSESSIONEM  
vini sine controversia REDDAT: quo cum supra laudatum  
Imperatorum rescriptum omnino conuenit. Proabant præ-  
terea conductoris possessionem effectus, interdicta nimi-  
rum, seu remedia possessoria, quæ tuenda possessionis cau-  
sa, ex communione doctorum suffragio, ipsi competitunt. l. 1.  
pr. verb. ex lege locationis sive conductionis. D. de superficieb. te-  
ste Posthio de Maruten. Dec. 495. n. 7. & Dec. 632. n. 7. & 15.  
Mevio P. I. Decis. 128. n. 4. & aliis passim. Denique ipsi  
legum

: ( 2

legum autores adstruere possessionem conductoris videntur. Vlpianus enim, colonum naturaliter possidere, patet propositetur in l. 7. §. 11. D. Commun. diuid. & cum alibi monuisset, aduersus POSSESSOREM ad exhibendum agi, non solum eum, qui ciuiliter, sed & eum, qui naturaliter in cumbat possessioni l. 3. §. ult. ad Exhibend. Pomponius apposito exemplo conductoris id confirmat, subiliens: nam & cum eo, cui locata res sit, agi posse. l. 4. ad Exhibend. Naturaliter autem conductorum possidere dicit, natura enim possessionis in ipso tenendi actu potissimum cernitur, atque in ipsa positione & cessione: neque ulla eius species est, que altiunde possit incipere, quam a naturali & corporali rei apprehensione, atque hanc per conductorum non modo fieri, sed & assiduo vsu continuari, constat, quem ipsum rei usum, possessionem alibi iureconsultus dicit. l. 115. de verb. signif. Propius tamen spectata possessionis indole, alienam esse hanc, qua locata rei possessionem conductoribus adstruit, a veritate sententiam facile deprehendimus. Tametsi enim possessio, generali suo complexu quamvis detentionem, etiam simplicem tantum, denotet, sensu tamen iuris, eam demum detentionem vere possessionem dicimus, que cum affectione rem sibi habendi coniuncta est. Hinc qui alienam rem ut alienam tenent, possidere non dicuntur, etiam si detentionis suae iustam habeant causam. Nec, quod dicitur, possessionem esse apprehensionem rei, cuius proprietas ad nos non pertinet, a fida innuit, quam quod proprietas nihil habeat communem possessionem. l. 12. §. 1. D. de Acqu. vel am. pess. Ut appareat, qualis sit possessio que non ratione tantum & natura, sed etiam re & actu a proprietate seincta est: cum de cetero, utrum res mea sit, quam possideo, an aliena, nihil referat, dummodo rem alienam, non ut alienam, sed animo eam mihi habendi, possideam. Vide cum conductor rem conductam animo isto haut teneat, non sibi, sed locatori potius, cuius agrum ea conditione colit, ut ei pensionem statim temporibus praestet, possidet, l. 16. D. de Per. & comm.

545

rei. rend. l. 25. §. 1. l. 37. D. de Acqu. vel am. poss. sine, ut Celsus loquitur, detentione sua locatoris possessioni prestat ministerium. l. 18. pr. de Acqu. vel amit. poss. Generaliter enim quisquis omnino nostro nomine sit in possessione, nos possidere videmur. l. 9. D. d. t. eos autem possessores non conuenit appellari, qui ita tenent rem, ut ob hoc ipsum solitam debeat praestare mercedem. l. 2. C. de Praeser. 30. vel 40. ann. Conductor ergo proprie non possidet, sed habet ius vtendi fruendi: verum quia in praedio conductor est, & in possessione, hoc est, corpore & naturaliter possessioni incumbit, possessor esse naturalis, eamque possessionem locatori restituere dicitur. Atque hoc sensu sunt quidem & colonus & inquilinus in praedio, sed tamen non possident l. 2. §. 6. D. de Precar. neque aut viuo, aut mortuo domino, ullam possessionem habent. l. 33. §. 1. D. de Vsurp. & vscap. vtut eius rei possessionem, cuius ipsi non habent, alii tradere possint. l. 21. pr. D. de Acqu. vel am. poss. Fidem & firmamentum his, quæ diximus, conciliat, quod conductor probet possessionem non conductentis, sed contra conductentem, & conducens scienter rem propriam ab alio, proprio facto cadere possessione, eamque amittere datur. l. 19. pr. l. 21. §. f. l. 28. D. de Acqu. vel am. poss. quodue conductori longæ possessionis prescriptio non acquiratur. l. 1. C. Commun. de Vscap. Sed nec interdicta conductori contra locatorem, vel etiam contra alios, nisi ex cessione locatoris competere verius est: practicum enim remedium, quod ex officio iudicis nobili, si in sua detentione turbantur, vel forte expellantur, illis tribui solet, æquitate & ysu magis nititur, quam scripto iure, quippe quo actio prodata non est, qua conductor de possessione experiri posuit, nisi contra locantem, vt is agat contra eum, qui vel turbavit, vel spolauit ipsum, ceu quidem cum veterum praticorum principe, Bartolo, pluribus adstrinxunt Stephanus Gratianus Discip. for. Tom. I. cap. 224. n. 26. Textor Decif. 79. aliisque. Nobis haec præmissæ sufficiunt.

sufficiat auspicalibus prælectionibus, quas instituet sum-  
morum in utroque iure honorum candidatus clarissimus

## PAVLVS GVLIELMVS BRVCKNER,

Natus is fuit hac in Salana Anno MDCXCII. die Martii primo, parentibus adhuc florentissimis. Patre quidem GVLIELMO HIERONYMO BRVCKNERO, Antecel- fore famigeratissimo, matre ANNA CHRISTINA, B. PAVLI BECKERI, quo Consiliario aulico Serenisimus Dux Gothanus vñus est, & MAGDALENÆ ELISABETHÆ, nobili genere de Wild natæ, filia natu minima. Carissi- mum parentes filium Seruatori nomen dare curarunt ma- xime. Deinde doctrinæ salubris capita instillari eidem, moresque eius effingi, allaborarunt. Quumque ad litteras natura traheretur, musarum castra sequitus est, ducentibus inter alias præceptores fratribus LANGGVTHIIS, iam apud Erfurtenses verbi diuini ministris, HEIDELMANNO, Se- cretario Saxo-Gothano, & PAPPRIZIO, officii apud concio- nem sacram candidato: quibus se multum debere profiterut. Sermonis latini integratatem elegantiamque a B. POSNE- RO, huius Doctore, accepit. Iam vero ad altiora pro- grediendum erat. Philosophia igitur penetralia intravit celeberrimos huius Academiæ doctores secutus, inter quos commemorat B. HAMMBERGERVM, mathematica docen- tem, LEHMANNVMQVE, ad summe reuerendi BVDDEI elementa Philosophia commentantem. Sapientia præcepta lumine historiarum illustrantem Magnificum hoc tempore Academiæ Rectorem, BVRCARDVM GOTTHELF STRVVIVM audiuit. Satis sic pro instituto Philosophiæ disciplinis instructus, Iurisprudentiæ studium, patrem confilio, & naturæ monitu ducetus, aggressus est. Fa- miliares hinc sibi institutiones Iustiniani reddidit, IO. BERN-

575

BERNHARDO FRISIO, Consiliario aulico atque Consistoriali Saxo-Isenacensi, vt & Antecessore Excellentissimo, CASP. ACHATIO BECKIO, Professore iuris aequae, atque dicasterii prouincialis Aduocato Ordinario, meque ipso, explicantibus. Vberiorem iuris civilis pariter, atque Canonici, Publici, Feudalis, actuumque in iudiciis cognitionem, praeuentibus non solum priuatis Doctoribus Nobilissimis, HERTELIO, DIETMARO, STRUVIO, QVE iuniore; sed & publicis, Parente optimo, STRUVIO & BECKIO, sibi comparauit. Tandem gratulatur ipse sibi de optata occasione legendi acta, quæ ad nos mitti solent, & quorum pater optimus sibi copiam fecit. Ad extreum, quum ad bene se ferendum multum iuuet vrbes ac regiones visere, ante biennium BRVCKNERVS in Westphaliæ profectus est: inde Wezlariam se consultit, supremum ibi iudicium imperii mirans: quo facto, Academiam Gieffensium, Francofurtum, Moguntiam, Coloniam, pluresque ad Moenum & Rhenum sitas urbes oculis subiecit suis. Quibus relictis Hollandiam adiit, Amstelodamum, Hagam, Lugdunum Batavorum, Roterdamum, reliquaque ciuitates summa cum voluptate, quod fatetur, perlustrans. Per Westphaliæ reuersus, Smalcaldia optimam atiam, quam distissime incolunem & saluam sibi optat, visitauit, posteaque patriam resalutauit. Vbi, parentis atque maiorum vestigiis insistens, qui per duo ferme secula plerique Doctorum iuris titulo erituerunt, eundem honoris gradum a collegio nostro petere animum induxit. Cuius aucto-  
ritate petitioni illud ipsum facile acquieuit, & ad examina confusa illum admisit. In quorum utroque ita industriam & eruditionem suam nobis probauit, vt uno omnium & voto & suffragio conspirante, ad publica etiam specimina edenda dignus iudicatus fuerit. Inter quæ quum sit lectio illa cursoria, quam collegii statuta, ea potissimum ratione serio exigunt, vt candidati aliis quo-

quoque proberit, se honores, quos expetunt, mereri.  
Ieo craftini, Deo propitio, hora decima, notatu  
diguisumam itam Imperatorum constitutionem, legis vice  
fime quintæ, Cod. de locatione conductione, in Iure  
consultorum Auditorio paucis explicabit. Vestram pro  
inde, Pro-Rector Magnifice, Pro-Rector Magnifice  
designate, Illustrissime Comes, Proceres omnium ordi  
num honoratissimi, Commilitones itidem astutissimi,  
reuerenter cupideque mecum exorat præsentiam, qui vi  
cissim, quam propensissimi huius fauoris beneficium ex  
stimus, nullo non officiorum genere pro viribus testa  
bimus. PP. die IV. Augusti, MD C C XX.



**ULB Halle**  
003 948 404

3



5b.



# O. CHRISTIANI SCHROETERI

PROFESSORIS PUBLICI, CVRIÆ PROVINCIALIS,  
SCABINATVS ATQVE FACVLTATIS IVRIDICÆ  
ADSESSORIS, HOC TEMPORE DECANI

1720, 15

## PROGRAMMA.

## *LECTIONI AVSPICALI*

**PAVLI GVLIELMI  
BRVCKNERI,**

CANDIDATI IVRIVM CLARISSIMI PRÆMISSVM



JENÆ,  
LITTERIS MULLERIANIS